



Fischer  
Catholica Repraesen-  
tatio...

1787


Syst. Th. II  
333



*The*  
*96*  
*1*



Theol.  
Schr.  
11.



493  
CATHOLICA  
TRIUM IN DEITATE PERSONARUM  
IN IMAGINIBUS  
REPRÆSENTATIO.

QUAM UNA CUM THESIS  
DE DEO UNO ET TRINO

PRÆSIDE

GERARDO FISCHER,

SS. Theol. Doct. & Prof.

In alma apud Treviros Univerfitate

*Exponebant*

*Mane ab hora 8.*

R. D. SIMON SCHMITT, Subd.,  
Can. Ord. Præmonstrat., Profes-  
sus in Arnstein.  
R. D. SIMEON EBERZ, Sac.,  
Ord. S. F. strictioris observantiæ.

*Post Meridiem ab hora 2.*

R. D. CHRISTIANUS SCHURP,  
Sac., Ord. S. Augustini.  
R. D. BASILIUS PISTOR, Sac.,  
Ord. S. F. strictioris observantiæ.

Die 31 Augusti 1787.

---

LUXEMBURGI, Typis Hæredum Andreae Chevalier.

Syst. Th. II. 333  
2<sup>a</sup>

## PROPONEBANT

*Reverendi ac Ornatissimi Domini Studii*

*generalis Trevirensis Candidati,*

Mane

LANDES-  
UND STADT-  
BIBLIOTHEK  
DUSSELDORF

R. D. NICETIUS HEIARD, Diac., Ord. S. Bened., Prof. ad  
S. Maximin.

R. D. AUGUSTINUS ROMPEL, Sac., Ord. S. Dominici.

R. D. MELANIUS MULLER, Subd., Ord. S. F. Conventualium.

R. D. NATHANAEL WEISSENBERG, Diac., Ord. S. F. stric-  
tioris observantiae.

Post Meridiem.

R. D. CAROLUS HOLLER, Diac., Can. Ord. Præm. Prof. in  
Sayn.

D. JOAN. GEORGIUS PETRI, Monthaborinus.


D. CHRISTIANUS GRIMM, Cambergenfis.

D. JOAN. THEOD. COLL, ex Manderfcheid.

} *Sem. Clem. Alumni.*

1372 49901

CATHOLICA  
 TRIUM IN DEITATE PERSONARUM  
 IN IMAGINIBUS  
 REPRÆSENTATIO.



§. I. *Ratio & Argumentum descriptionis.*

DE pictura sacrarum imaginum scribere hic aliquid, quod exercitio simul academico appositum sit, instituo, & porro datis occasionibus scripturus, aut potius quæ ab aliis bene scripta collaturus sum, pro memoria Candidatorum meorum; ut, quæ in aures ingesta, ne subito elabantur, identidem autem oculis & lectioni reddita feliciter custodiantur.

Materia hæc quondam temporibus Iconoclastarum tum antiquiorum tum recentiorum a viris solida religione & doctrina theologica instructissimis insigniter exculta fuit. Sed jam a multo tempore in scholis theologis, ad quas vel maxime pertinet, passim vix obiter tangitur, immo ab auctoribus, qui in manibus theologorum versantur, penitus negligitur. Nescio, annon inde fortasse sit, quod non tam ex incuria quam ignorantia Rectorum Ecclesiarum tot errores ac superstitiones in devotionem populi irreperint, quam sane devotionem sacræ imagines ex primario suo instituto fovere & promovere debuerant.

Atque ex hac maxime causa annis proxime lapsis, dum tractatum dogmaticum de invocatione Sanctorum & cultu Reliquiarum & Imaginum publicis scholis explicarem, etiam in ipsa sacrarum imaginum pictura contemplanda & discutienda diu multumque versatus fui; animadvertens, quales imagines pingere liceat, cujusmodi & quorum imagines cultui publico exponere conveniat, quibus formis Fidelium oculis præsentandæ, quomodo tandem & errores emendandi & superstitiones

removendæ sint. (\*) Nimirum ut discerent Candidati ad regimina Ecclesiarum olim promovendi, quid reprobare quid retinere citra præjudicium sacratissimæ Religionis nostræ ex cordata Theologia oporteat; simulque armarentur contra schediastmata illa, quæ hodie in publicum protruduntur ab iis fere hominibus, qui dum aliunde quid ad venerabilem antiquitatem pertinens legisse sibi visi sunt, multa ex suo cerebro affingunt, populumque præter omnem genuinam crisin decipiunt, deblaterantes sine arte, sine regula, sine theologia.

Utique, quam præ manibus habeo, materia vastissima est. Tam multa enim recensenda forent de imaginibus Sanctorum seu generatim seu speciatim, immo tam multa vel de solis imaginibus Deiparæ Virginis, ut una scriptio, hæc omnia complectens, volumen & modum excederet. — Igitur ut tum intra justos limites constet oratio; tum ut recto ordine ab eo, quod vere principium est, initium ducatur; tum etiam ut cum thesibus dogmaticis, quas hoc exercitio de Deo Uno & Trino defendendas suscipimus, opportunus servetur nexus; solas imagines Trium in Deitate Personarum, conjunctim, separatim, nunc evolvam, ceterorum in alias occasiones reservaturus.

## §. II. *An Deum pingi conveniat?*

**J**AM tum in limine offendiculum est. Etenim dubitatio obvolvitur, an Deum, summum illud Ens, in pictura & imagine hominum oculis objici conveniat. Ratio dubitandi est gravissima. Deus est incorporeus, immaterialis, invisibilis, immensus, & eo ipso videtur non posse quocunque modo in figuram dari atque in ipsa hac figura circumscribi; quin in Deum injuria redundet, & spectatores in errorem inducantur.

Ex omni certe historia patet, ad seculum usque XIII. & ultra nondum liquido exploratum fuisse, an Deum & præcipue SS. Trinitatem aut etiam Personas singulas in imagine efformare liceat. Non licere factis definite asseruerunt plures Patres & scriptores tam ante quam post Nicænam II. Et quidem ante hæresin Iconoclastarum, Tertullianus,

---

(\*) Idem hoc egregie præstitit eximius & eruditissimus Collega meus PETRUS JOSEPH. WEBER in amplissima Dissertatione morali de usu imaginum, duobus abhinc annis edita. — Actum tamen agere non mihi visus sum, cum, quæ ipse juxta præfixum sibi scopum in contemplationem quandam universalem itatis regulis adduxit, ego ad particularia magis descendens, divisisque imaginum classibus, eadem singulatim obtutui fixiori objiciam.

Clemens Alexandrinus, Origenes, Minutius Felix, Lactantius. Subinde grassante illa hæresi idem asseruit Gregorius II. in ep. ad Leonem Isaurum, sectæ illius principem, (Hæc epistola præfixa est actis Concilii Nicæni.) Nempe Deum Patrem, quia corpore caret, nulla debere imagine exprimi. Cur, inquit, Patrem Domini N. J. C. spectandum minime proponimus ac pingimus? Nimirum quia nescimus quis sit, & Dei naturam in conspectum adducere ac pingere nemo potest. Germanus Cpolitanus Patriarcha, qui ab Leone Isauo depositus fuit, in ep. ad Joannem Ep. Synadensem, in eandem sententiam loquitur: Non enim invisibilis Deitatis imaginem aut similitudinem aut figuram aut formam aliquam exprimimus; quam Deitatem ne ipsorum quidem Angelorum sublimes ordines complecti intelligentiæ suæ possunt. Atque ita Christi solius, quia carnem induit, effigiem rite fieri posse declarat. Joannes Thessal. in dialogo de cultu imaginum, in quo Gentilem quemdam cum Christiano loquentem inducit, imagines a Christianis exprimi dicit non Dei ipsius, sed tamen Dei ut est incarnatus & homo factus. Præterea alios.

Inde factum est, quod quidam Theologi in illam sententiam abiierint, non licere ullo modo Trinitati imaginem effingere, sed solum Deo in humanitate quam assumpsit. Inter illos sunt Durandus, Bonaventura, & ipse D. Thomas Aquinas, qui sic scribit: Deo, cum sit incorporeus, nulla imago corporalis poni potest, quia, ut Damascenus ait, insipientiæ summæ est & impietatis figurare quod est Divinum. Immo, si fides quibusdam narratoribus est, Ecclesia Græca usque in hodiernum diem nullas Dei & Trinitatis imagines admittit.

At at Theologi posterioribus temporibus audacter asserunt, Deum & Trinitatem depingere nullo ex capite illicitum esse, quin & hujusmodi imagines cultui publico exponendas. Quanquam hanc assertionem non usque eo decisam volunt, ut pro fidei dogmate sit tenenda. Ea tamen veritatis nota illam donant, ut hodie sine temeritate contra communem Ecclesiæ Latinæ usum ab ea recedi non possit. Certe passim Romæ & fere in omnibus aliis per Occidentem Ecclesiis imago Sacrosanctæ Trinitatis veneranda populo proponitur. — Dico, quod hæc assertio expresse ad dogma non pertineat. Nam in Formula Fidei nostræ istud tantummodo profiteremur: Firmissime assero, imagines Christi ac Deiparæ semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas esse. Ibi nihil de Trinitate. Nempe nihil etiam in Tridentino, ubi Sess. 25. decernitur: Imagines porro Christi, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum, in templis præsertim, habendas & reti-

nendas esse, eisque debitum honorem & venerationem impertiendam; Hinc patet, imaginum usum & cultum in objecto fidei involvi; non tamen itidem involvitur, SS<sup>mæ</sup> Trinitatis, aut Patris ac Spiritus S. separatim imagines habendas & retinendas esse. Et quantumvis in Trident. Synodo præsto fuerint doctissimi Theologi, qui sane non ignorabant, a Protestantibus litem moveri de quibusvis imaginibus; consulto tamen abstinuere Patres ab hac doctrina definienda, nec nisi de imaginibus Christi, B. V., & aliorum SS. loquuntur.

Nihilominus usus hodie celebratissimus obtinuit, ut cum istis illæ quoque imagines habeantur. Atqui ipsum Tridentinum aliquid de illis insinuat, quando in eodem decreto dicit: Quodsi aliquando historias & narrationes S. Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediat, exprimi & figurari contigerit; doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari. Profecto nisi sacrosanctum Concilium dicendum sit frustra addidisse has voces, *non propterea Divinitatem figurari*; isthæ quoque figuras ipsius Dei complectitur; & quamvis nihil certi definiat, adeo tamen illas non damnat, ut approbare potius in vim substratæ materiæ intelligatur. (\*)

### S. III. Quomodo Deum in imaginibus exhibere liceat?

**I**PSA divina natura & essentia Trinitatis similitudine & pictura exhiberi non potest. Atque hæc vera ratio est, cur ab antiquissimis Patribus & veteribus Theologis hæc imagines rejicerentur & quasi horrore essent; propterea quod saltem viderentur ad Gentilium morem Deum sicuti est repræsentare. — Ecclesia recentiori ævo eas recipit, probat, exponit, cum hac tamen triplici cautela, in quam omnes graviores Theologi post Tridentinum conveniunt: Ut doceatur populus, ipsam Divinitatem non figurari: Et ut nullæ falsi dogmatis imagines, rudibusque periculosi erroris occasionem præbentes, statuatur: Denique ut id quod repræsentatur, & modus quo repræsentatur, in narrationibus S. Scripturæ & apparitionibus fundamentum habeat.

---

(\*) Ceterum quomodo huic doctrinæ & consuetudini de habendis imaginibus Dei & Personarum divinarum non resistat jus naturale nec positivum Divinum aut humanum, planissime ostendit Cl. ZALLWEIN in principiis juris ecclesiastici cap. de Liturgiis. — Nobis hic super ea questione longius excurrere opportunum non est; quanquam necessario præmittenda erat, ut lumen afferret ceteris dicendis. Luculentum enim jam inde fit, quanta acribia opus sit in dijudicandis istiusmodi imaginibus.

S. IV. *Quæ imagines Trinitatis reprobatae: quæque item ecclesiastico usu probæ?*

**I**NVENTÆ sunt imagines, in quibus pictus erat unus vir cum tribus capitibus, aut unum caput cum tribus faciebus sibi omnino simillimis, aut unus vir cum duobus capitibus & in medio eorum columba. — Quot hic peccata contra datas cautelas? Ubi enim ejusmodi apparitio aut descriptio Trinitatis in Scripturis sacris? Quam absurdus & ineptus conatus ad proponendam trium Personarum individuum Unitatem? Quam tandem falsa & deformis de Majestate tanti Mysterii obicitur oculis Fidelium idea? (\*) Hanc pingendi rationem dudum refutarunt celebres Theologi Lovanienses, Latomus Cambronensis & Joannes Hesselius Lovanius, & ante illos S. Antoninus Florentinus Episcopus, qui in sua summa Theologica hac verborum energia suam sententiam exprimit: Reprehensibiles etiam sunt, cum pingunt ea quæ sunt contra fidem, cum faciunt Trinitatis imaginem unam personam cum tribus capitibus, quod non est nisi monstrum in rerum natura. (\*\*) Porro absurditas imaginis satis ex rationibus allatis & per se se patet; & rectissimo consilio Urbanus VIII. anno seculi lapsi 28 similes imagines comburi iussit.

Jam vero imagines, quibus SS. Trinitas exhiberi solet, frequentissimo hodie usu sunt istæ. 1<sup>o</sup>. Pater Divinus in forma venerabilis senis cum promissa barba: in sinu tenet Filium Unigenitum, vel ut hominem viventem, vel etiam, ut in aliis formis, ex cruce suspensum & mortuum: inter utrumque & quasi in pectore Patris Spiritus S. in figura

(\*) Unde etiam protestantes quidam ministri in libro quem ediderunt contra Unum & Trinum Catholicorum Deum, collegerunt multas hujusmodi formas imaginum Trinitatis, scilicet ad irrisionem & ludibrium, vocantque eas cerberos Catholicorum, Janos bifrontes, monstra & idola Pontificiorum. Enimvero hanc blasphemandi occasionem pictores nostri dederunt.

(\*\*) Usque hodie id genus monstrosas imagines videre licet in vetustis quibusdam libris. Et ego aliquando in principe quadam urbe, ubi multi Protestantes Catholicis intermixti sunt, similem picturam vidi in templo Monialium publice in grandi tabula expositam. Joannes Molanus apud Lovanium olim Theologus Regius, in suo præclaro libro de historia SS. imaginum, ait, picturam hanc esse figmentum diabolicum, adducitque narrationem ex quodam Roberto, qui fuit abbas Montis. In Præmonstratensi Ecclesia alicui fratri, altius de ineffabili Trinitate cogitanti in Matutinis addidit diabolus tria capita gestans, & sic Trinitatem se esse contestabatur, fratrem autem ob fidei meritum dignum fuisse visione Trinitatis. Sed frater injinici dolum agnosceus, recedere eum a se compulit, ad modum Christi, Recede a me satana. Hæc eadem leguntur in vita S. Norberti. Sive historia hæc sit sive fabula, parum refert.

columbæ. (\*) Contra hanc imaginem nihil habent Theologi quod excipiant. Sive enim repræsentetur Pater mortuum tenens Filium sive vivum in sinu suo; utrobique est pia repræsentatio, & nihil est contra veritatem apparitionis ac historię. Sicuti nempe super vivum Christum vox Patris de Cælo insonuit, Hic est Filius meus dilectus; sic etiam crucifixus & moriens Filius ad Patrem exclamavit, Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Cetera itidem fundamentum gravissimum in Scripturis habent, quod mox dicturus sum.

2<sup>o</sup>. Exhibentur duæ Personæ, Pater in forma senis, Filius cum cruce ad dextram Patris, Spiritus S. inter utrumque sub schemate columbæ, in aliis picturis columba hæc est paulo altius posita, in aliis paulo inferius. Hæc imago unanimi calculo admittitur a Theologis, & est communissime recepta in Ecclesia. Pater enim in forma venerabilis senis apparuit apud Danielem cap. 7. Antiquus dierum sedit, & capilli ejus quasi lana munda. Filius in forma humana non modo apparuit sed & vere homo fuit. Sanctum vero Spiritum in specie columbæ se manifestasse, omne Evangelium testatur.

Hanc tamen imaginem ex duplici causa quidam in crimen vocant, præsertim ex illa hominum classe, qui omnia sus deque excutunt ut aliquid sugillare possint. Ac 1<sup>mo</sup>. dicunt, imperfectam esse & penitus ineptam ad exhibendum id, ad quod exhibendum assumitur, Tres quidem Personas distinctas in ea repræsentari, non item unicam Divinitatem. — Sed vero nos Catholici profiteamur semper & protestamur, quod imagines Dei a nobis assumantur tantummodo ad repræsentandas apparitiones; non autem, plane non, ad exprimendam Naturam Dei, quod jam supra axiomatis loco ponebam, & juxta A catholicis quam nostræ plebi satis inculcari non potest; multo minus imagines Trinitatis assumantur ad grande hoc Mysterium, quo supra intellectum nostrum Tres Personæ distinctæ in Deitate Unum sunt, corporeis oculis exhibendum. Et in univèrsum quæcumque imagines id quidem conantur exhibere aut quoquo modo adumbrare, eo ipso tanquam reprobæ & erroneæ apud sanam Theologiam vapulant.

Propterea ad reprobas imagines merito rejicitur illa triangularis figura, qua passim Oculus Dei ut dicitur aut nomen tetragrammaton inclu-

---

(\*) Hæc pictura, præsertim cum Christo crucifixo veluti inter genua Patris, invenitur potissimum in vetustis templis oppidorum & pagorum, etiam in antiquioribus libris precum quos vulgus habet, quin & hodie quidam chalcographi inde iterum exemplum desumunt.

ditur; NB. si nempe per triangulum id intendatur, ut ineffabilis illa Trinitatis Unitas & Unitatis Trinitas repræsentetur. (\*) Attamen adeo universaliter hic conceptus placuit pictoribus & architectis, ut pauca hodie templa videas, in quibus non in summo altaris apice hoc triangulum irradiet. Non autem certe a Theologo sed ortum habet ab illis Ascetis & Oratoribus seu potius declamatoribus, qui dogmata severissima similitudinibus, symbolis, hieroglyphis, & contortis undequaque congruentis amant declarare aut confirmare. Sic nostris temporibus audivimus infulsissimum concionatorem, qui ostensurus animam hominis in solo Deo complementum beatitudinis suæ habere posse, hac garrulitate rem comprobat. Anima trina est, h. e. tribus facultatibus prædita, mundus rotundus est, figura autem rotunda ad triangularem non convenit. Plane sicuti globus si in vitrum triangulare immittatur, tres anguli incompleti & vacui maneant necesse est; sic globosus mundus trinam animam omni ex parte complere & exsaturare non potest; igitur solus Deus id poterit, quia Trinus est. — Quanta in hoc discursu confusio idearum & commistio rerum spiritualium & corporalium? Et quam deformis & aberrans delineatio animæ tribus facultatibus præditæ, ac Divinæ Trinitatis in Una Natura! Ecquid autem Trinitas Personarum pertinet ad exsatiandam animam? Anne Pater in hac plica animæ, Filius & Spiritus S. in binis aliis angulis sedebunt? — Et tamen hæc ineptissima enarratio quibusdam vehementer arrisit, nempe iis, qui illud triangulum cum oculo Dei, de quo ante dicebam, sibi eripi non sinunt, quasi vero ad commodissime exprimendam Unius Trini Dei Naturam; a qua tamen expressione propter ineptitudinem, propter periculum erroris, immo propter errorem ipsum, omnis Theologia & Religio abstinendum suadet. Dico, propter errorem ipsum: nam illud Divinitatis abstrusum Mysterium comprehendere velle perinde atque coloribus & figuris exprimere velle, hoc ipsum errare est.

Alterum caput, ex quo nostram ter-Sanctæ Trinitatis picturam criminantur, haud paulo difficilius est. Quod imago Verbi incarnati ad dextram Patris ponatur, id quidem fortasse recte, inquit, at quod

---

(\*) Hæc notatio liberat me ab invidia, quæ creanda mihi forte esset apud venerabilem Facultatem philosophicam, quam profecto mihi nolim offensam habere. Nam triangulo illo, quod in suo minori sigillo adoptavit, non intenditur id, de quo hic questio est, quanquam id quibusdam videri possit propter Collegium & Gymnasium sub titulo SS. Trinitatis; sed non nisi symbolum aliquod Philosophiæ, figura Mathematica, denotatur, in cujus arca oculus philosophicus apparet, rerum omnium naturalium speculator, atque inde propter universalis hujus scientiæ gloriam & amplitudinem, usque ad summa etiam sidera penetrantis, solares undique radii promittuntur.

eo ipso imago Patris ad sinistram rejiciatur, hic errorem contineri, interturbari ordinem naturalem Divinarum Personarum, & Majestati Primæ Personæ derogari. — Sed enim si mysterium & difficultatem totam, quid sit Christum ad dextram Dei sedere, isthic explanare luberet; obiectio ista ne locum quidem habere posset; præterquam quod in Divinis Personis nullus honoris ordo fit, quarum unam Divinitatem, æqualem gloriam, coæternam Majestatem in symbolo Athanasiano confitemur. — Ecquid autem ineptitudinis & erroris ea in repræsentatione fit, non perspicimus. Repræsentamus enim eo modo, quo Scripturæ loquuntur, & quo Christus dignatus fuit apparere. Stephanus in actis vidit gloriam Dei & Jesum stantem a dextris Dei. Quemadmodum autem in hac visione gloriæ Dei nihil decessit, dum honoratissimum Christus locum ad dextram Dei obtinebat; sic in pictura nostra gloriæ & Majestati Primæ Personæ nihil derogatur, dum Filius ad ipsius dextram appingitur. Est namque & manet in gloria in folio suo Pater Divinus, neque Filius præ Patre honoratiorem locum, sed utique honoratiorem præ omnibus mere creaturis occupare ostenditur; ac propterea Prima Persona non proprie ad sinistram rejicitur. Quemadmodum si Rex matrem ad dextram suam jubeat assidere, quod de Rege Salomone sacris litteris proditum est; Majestas Regis hac assensione nihil patitur, ipsumque ad sinistram aut humiliori loco jam esse, nullatenus dicendum foret; sed his etiam in adjunctis adhuc proprie in throno suo, in medio Rex residet.

Atque ex ipsissimo hoc ratiocinio, ut mihi paululum excurrere liceat, illud quoque facilem explicatum habet, cur nihil adversus Primatum S. Petri evincatur ex illis imaginibus, quæ medio ævo Romæ præsertim in sigillis Pontificum prodierunt, referentes Paulum sive stantem sive sedentem ad dextram Petri. — Certe enim Romani Pontifices, qui suam semper in Petro prærogativam fundarunt, in hac figura fundamentum suum substruere noluerunt, adeoque positione illa plane non intenderunt, Petrum ad sinistram rejicere, h. e. ad depressiorem locum infra Paulum, atque ita ex Primatu deponere. Ex hac itaque œconomia oppido liquet, aliud nihil illo duorum Apostolorum situ atque ad sese respectu significare potuisse (si quid tamen significare voluerint) quam Apostolum Gentium ceteros inter Apostolos prædicationibus, laboribus, epistolis celebriorem esse, ac propterea honore propius ad Petrum Christi Vicarium accedere, Petro utique nec sedem suam nec Primatum amittente. Hanc explicandi rationem efficacissimam esse puto ad contendendos quosdam Dominos Protestantibus aliosque male criticos, qui antiqua hac pictura magnopere delectantur. Etenim ipsi cum fateri debeant, per scripturificam phrasin, qua Christus ad dextram virtutis Dei elevatus dicitur, Majestati Dei nihil derogari; sic & vel inviti fateantur necesse est, futile esse argumentum, quasi vero Petrus aliquando tanquam

tanquam Apostolorum primus a Christianis creditus non fuerit, eo quod Paulum ad ejus dextram effinxerint.

Notanter dicebam: si quid tamen Pontifices per hanc extraordinariam positionem significare voluerint. Non enim voluisse, erudite pertractat Cl. Dominus FRANC. ANT. DURR, Juris Publ. & Hist. in Alma Moguntina professor, in elegantissima dissert. De probatione per picturas in sacris. Ibi ex multis rationibus, quas passim legimus apud doctores Theologos, præsertim apud Leonem Allatum, Bellarminum, Petrum de Maria, ubi agunt de summo Pontifice & Primatu Petri, longe verisimiliorem putat, & ex adjunctis temporum, personarum, rerum, probat illam esse, quod cælator typi pontificii in delineatione S. Petrum repræsentavit in dextris, quin attenderit, in expressione typi signatorii inverti ordinem.

Facile ego quidem assentior huic rationi, quæ ex chalcographi errore assumitur. Namque ad nostram hic quoque rem facit ex nuperrimo & domestico exemplo. — Cum post extinctam Societatem Jesu sigillum collegii SS. Trinitatis hic Trevisis immutandum esset; loco Monogrammæ sacratissimi Nominis, qua Societas utebatur cum inscriptione collegii, substituebatur imago ter-Sanctæ Trinitatis. Ecce autem errorem. Cælator sive per imperitiam sive per incuriam, dum juxta propositum sibi exemplar laborat, reipsa Christum ad dextram Patris exsculpsit. Sed ubi jam inverso typo signatura facienda erat, in ipso signaculo Christus ad sinistram Patris apparebat. Quid porro? Errore non correcto, sive id ut novis sumptibus parceretur, sive iterum per incuriam; sigillum hoc aberrans deinceps appressum in epistolis, in syngraphis, in instrumentis contractuum, ac tam diu usui fuit, donec tandem istud collegium sui juris esse desineret, factoque connubio in nomen & sigillum Seminarii Clementini iret. — Jam vero quod nostra ætate contigisse his oculis vidimus, cur id antiquo ævo contingere simili facto non potuerit? — Inde autem an non inanissimus ille foret argumentator, qui exactis annorum periodis, producta ex feriniis & archivis hujusmodi signatura, docere vellet, a Trevirensibus sub finem sæculi XVIII. creditum non fuisse, Christum sedere ad dextram Patris, eo quod in sigillo, quo certe nihil sanctius in commercio humano, eundem ad sinistram efformaverint. — Atque hæc quidem ex occasione & per episodium, non tamen multum a re mea; ad quam nunc regredior.

Alia porro & diversa a jam memoratis pictura SS. Trinitatis habetur. Exhibentur videlicet tres personæ statura, vultu, vestitu, penitus æquales. Non convenit inter Theologos, an hujusmodi picturam in censu sacrarum imaginum & publico cultui in Ecclesia proponendarum habere liceat. Thomas Waldensis & Molanus eam admittunt, pluribus e contrario aliis reprobantibus. Waldensem cum suis affectis illud movet, quia Trinitas creditur in convalle Mambre apparuisse Abrahamæ in similitudinem trium virorum, Gen. 18.; ad cujus capitis lectionem ecclesiasticus cantus addit: Tres vidit, & unum adoravit.

Sane S. Augustinus cum non paucis aliis, perinsigne Trinitatis symbolum sub hoc expressum eventu suspiciunt, factumque Abrahamæ, dum tres videns unum adoravit, pertinuisse ad Latriam exhibendam Uni substantiæ in Tribus Personis. — Verum res non ita in plano est, ut non plures Patres & interpretes in alium omnino intellectum id ipsum exponant: Nihil hic insinuari de Mysterio Trinitatis, sed duos ex tribus illis fuisse Angelos, tertium autem Filium Dei, quem unum adoravit Abraham, & qui per omnem contextum dicitur Dominus. Atque hanc expositionem dicit Cl. Calmet esse usitatissimam. Hæbraei commentantur, non nisi tres Angelos apparuisse, Michaellem, Gabrielem, & Raphaellem. — Propter has igitur contradictiones, & propter incertitudinem quid illic Deus voluerit per apparitionem trium virorum significare, hæc pictura, ut repræsentans Divinam Trinitatem, plurimis Theologorum votis excidit. Dico: ut repræsentans Trinitatem; nam historiam ipsam, qualis a Mose narratur, in imagine exhibere, nihil vetat. — Huc faciunt & alia argumenta theologica. Quorum illud præcipuum est; quod in legitimo usu imaginum, quam Ecclesiam sibi semper cordi habuisse tota historia ecclesiastica testatur, ab omni novo & insolito abstinendum sit, omnisque occasio periculosi erroris præcavenda. Hæc autem figura certo est nova. Neque enim antiquitas ejus probatur ex imagine musiva, qua inter ceteras sub initium seculi V. Sixtus III. Romanam Basilicam S. Mariæ majoris exornavit. Namque ea in imagine solum nuda historia, ut in Genesi legitur, exhibetur, dum uno in latere tres viri apparent, in altero Abraham ipsis obviam procurrit. Videre eam licet excusam apud nuperrimum auctorem Joan. Bapt. Gener, Hispanum Romæ Theologum, cujus præclarum opus ex parte Bibliotheca nostra novissime comparavit. Quod autem hic scriptor velit suo calculo comprobans opinionem Ciampini, sive opificem sive Sixtum Papam intendisse in illa figura Divinæ Trinitatis repræsentationem, hoc profecto hariolari est. Et contrarium firmiori argumento evincitur ex ceteris in eadem basilica ab eodem Pontifice adjectis picturis, quibus alia quoque facta Abrahamæ aliorumque Patriarcharum nude historice sine ullo Mysterio repræsentantur.

Interim, quidquid dicatur, figura ista propter *insolentiam* crisi obnoxia manet. Etenim ut rite & appositis formis SS. Trinitas in imagine objiciatur oculis Fidelium; non Deitatis Unitas & distinctæ Personæ quomodocunque sed simul cum suis notis characteristicis, ut internoscantur, singulæ exhibendæ sunt. Verbo, Trinitatem oportet ad eum modum objici oculis, quo in aures prædicatur. Prædicatur autem sub no-

mine Patris Creatoris, Filii Redemptoris, Spiritus sanctificatoris; & huic Trinitatis ideæ sub diversis notionibus & characteribus assueti sunt Fideles. Atqui nudissima hæc imago nihil eorum exhibet. Quod utique si exhiberet, non putem, Theologos multum reluctaturos. Talis est imago, quæ existat in Breviario Antwerpæ ex officina Plantiniana in 4. edito anni hujus seculi 19.; ibi quoque iconem trium divinarum Personarum tres viri constituunt; sed suum cuique symbolum adjectum, quo invicem discernantur: Deus Pater, cui opificium mundi attribuitur, globum manu continet: Deo Filio tanquam Redemptori ingens crux adjacet Angelicis suffulta manibus: Deo Spiritui Sancto supra pectus columba appicta est, quæ tertie Personæ celebratissima est sanctificati per gratiam baptismatis nota. — His vero notionibus penitus caret nostra imago, de qua jam loquebar. Cl. Zallwein satis decretoria sententia edicit, istam Trinitatis imaginem esse prohibendam, esse proscibendam, eliminandam.

Icon etiam alia Trinitatis non multis abhinc annis in lucem venit, excusa a celeberrimo chalcographo Götz Augustæ Vindel. Erant tres Personæ in figura virili. Ex duarum se invicem respicientium pectoribus egrediebantur geminæ flammæ, suo cursu directæ ad tertiam Personam, quæ erat in medio & Spiritum Sanctum denotabat. Ista equidem Persona intermedia imberbis erat atque adeo compe, concinne, & delicate adumbrata, ut putaretur esse imago puellæ potius quam viri. Tolerandam hanc inter sacras imagines nequaquam esse, abunde patet ex eo, quod Spiritus S. hac forma nusquam in sacris litteris apparuisse legatur, præbeatque insuper occasionem erroris, tanquam si Spiritus S. multo junior sit iis a quibus procedit, & maxime quod nova & insolita sit, nulla authentica approbatione interveniente e solo cerebro delineatoris desumpta. — Multa hac super re disserit Benedictus XIV. in ep. ad Ep. Augustanum occasione imaginum Spiritus S., ut visus ferebatur venerabili forori Crescentiæ sub forma speciosi juvenis, quas simul eum nescio quibus miraculis divulgatas ubique Pontifex aboleri jussit. (\*) Huc pertinet illud, quod ait Tridentinum in decreto: statuit sancta

---

(\*) Digna lectu hæc epistola candidatis Theologis est, (habetur in Bullario Bened. XIV. tomo 1. pag. 342. editionis Romanæ 1754.) ut inde hoc maxime discant, imo. quanti rem inomenti habeat Ecclesiæ usum & cultum imaginum: ad. quantæ ipsi curæ sit, ne circa hunc usum & cultum aliquid novi, inepti, & falsi obrepat, & cum quanta sollicitudine & disquisitione procedat in hoc usu vel approbando & reprobando: 3tio. quanta etiam hac tota in re prudentia adhibenda sit, ut, si quid ordinetur, id *sine turba ac tumultu*, nempe sine offensione populi & sine scandalo pusillorum fiat. Qua in re sæpissime peccatur per imprudentiam eorum, qui hujusmodi quid ab alta potestate in commissis habent.

Synodus, nemini licere ullo in loco vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; nulla etiam admittenda esse nova miracula, nisi eodem recognoscente & approbante Episcopo; qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea iudicaverit.

§. V. *Imagines Dei Patris & Spiritus Sancti separatim.*

**P**ATER divinus tanquam prima Persona nec solet nec potest sigillatim exhiberi; bene autem tanquam Deus. Sed alias Dei imagines nisi sub schemate venerabilis senis Ecclesia nunquam agnovit. Inter reprobatas maxime pertinet illa, quam Anthropomorphitæ statuerunt. Erat grande simulacrum, quod in altissimo cælo sedens, pedibus in immensum protensis terrestrem globum contingebat. At cum damnata hæresi simul gigantæus, carneus, & osseus eorum Deus proscriptus fuit.

Quod ad tertiam Personam attinet, celebratissimum & antiquissimum est. In monumentis sacris, eam legitime sub figura columbæ exhiberi. Aliæ quæcumque ejusdem icones canonica hæctenus approbatione carent. Immo neque illam picturam tolerandam voluit Benedictus XIV., qua Spiritus S. seorsim sub specie ignitarum linguarum effingitur, etiam si hoc modo super discipulos descenderit; nisi illa solum occasione, qua ipsum festum Pentecostes ad Fidelium devotionem & memoriam exponitur; quoniam ex usu Ecclesiæ, dum Spiritus S. sub his formis pingitur, non tam ipse Spiritus quam Mysterium peractum repræsentatur.

§. VI. *Imagines Filii Divini.*

**J**AM vero secunda in Deitate Persona, quæ simul homo est, nihil impedit, quo minus singulatim depingi possit secundum omnem historiam, quam in scripturis habemus de ejus vita, passione, & morte, & quibus modis post Resurrectionem inter mortales visus fuit. — Parerga, ornamenta, complementa, symbola, quæ in his picturis inveniuntur, & a delineatoribus pro suo arbitrio adjiciuntur, tolerari possunt, nec improbantur ab Ecclesia; modo nihil erroris admisceatur & falsi dogmatis: modo, quidquid vanitatem & ineptias sapit, evitetur. Inter falsi dogmatis imagines certo pertinet illa, qua ad Verbi divini

Incarnationem exhibendam depingitur corpusculum quoddam humanum, quod Gabriele præeunte radiis circumvolutum de cœlo defluit usque ad uterum Virginis. Enim vero hæc pictura non nisi ab heterodoxo delineatore suam habet originem, aperteque docet hæresin Valentini, qui Christum de cœlo corpus attulisse & per Mariam tanquam per fistulam transisse asseruerat. — Id vero heterodoxis in more positum fuisse, ut, ubicumque occasio ferret, hæresin suam immiscerent; patet inter cetera ex facto Monophysitarum. De iis narrat Demetrius Cyzicenus ad Constantinum, quando crucem formabant, unico duntaxat digito se consignasse; ut adeo in ipsa Redemptionis & christianæ Religionis tessera per unicum illum digitum dogma suum profiterentur, de unica in Christo natura. Atque hinc ortum est, ut orthodoxi ab illo tempore, ne cum hæreticis facerent, nunquam unico solum digito sibi crucis signum imprimerent, sed vel tota & aperta manu digitisque omnibus rectis, vel tribus, vel etiam duobus solum digitis junctis. Et fortassis etiam inde vetus illa consuetudo profluxit, quæ usque hodie obtinet, pingendi Christum sub titulo Salvatoris, manum extensam habentem duobus digitis erectis, ceteris incurvatis, ut contra hæreticos illos indigretur, Christum duabus constare naturis.

Ad classẽ erronearum imaginum Beza ejusdemque hæc etiam ætate adoratores revocant quoque usitatam illam Catholicorum imaginem Christi orantis in horto; eo quod propter illa Christi verba, *transcat a me calix iste*, calicem depingamus ejus formæ, quo in Sacrificio Missæ utimur; vult enim, *Poterion* non calicem sed poculum verti, quod ex Hebræorum idiotismo ibi significat iram Dei & supplicium pro peccatis nostris, ac proinde illud poculum nullam rationem habere ad execrandum Antichristi sacrificium, qua voce sacrilege Missam Catholicorum appellat. — Sed quantum hæc crisis exeret, jam ante ducentos annos contra ipsum hæresiarcham ostendit Joan. Molanus in libro de vero SS. imaginum usu contra abusus. Certe nullus tam rudis est inter spectatores hujus picturæ, qui putet Christum locutum esse de calice illo sacro, qui in Liturgia Domini a nobis adhibetur; sed quia Christus figurata locutione petiit calicem sive passionis suæ poculum a se transferri. Ita filios Zebedæi rogat, *potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum*. Igitur sicuti hæc est figurata locutio, sic Catholici eandem hanc figuram in pictura servantem exprimunt; figurata locutio, figurata pictura. Maluerunt autem potius illam formam calicis vel poculi assumere, quæ postea ad solos usus sacrificii transit, quia Christus Redemptor noster non vulgare poculum bibit, sed sacrosanctum; nam sacrosancta

fuit ejus passio, qua se ipsum pro nobis Deo Patri hostiam obtulit. — Ceterum quidquid sit de vocabulo calicis sive poculi; utique ex grammatica significatione synonyma sunt, at ex usurpatione tamen ecclesiastica vox *Calix* augustius quid & sacratius significat. — Præterea a Majoribus nostris accepimus, per calicem in manu Angeli jam inde ab antiquis temporibus id expressum esse, quod petenti, ut calix transfret, in illis angustis apparuerit Angelus confortans eum, juxta illud: *Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo*. Ergo quoad hanc quidem expressionem perperam ista imago tanquam erronea traducitur. — Verum quod in eadem representatione passim appingatur Jacobus omnibus faciei lineamentis Christo simillimus, quia in Evangelio dicitur frater Christi; hoc simul falsi dogmatis periculum, simul errorem contra veritatem historicam continet. Præterquam enim quod omnimoda illa similitudo nullum fundamentum habeat ex gravi & fide digno scriptore, quamvis forte ex apocrypha quadam S. Ignatii epistola desumpta; occasionem præbet confirmandi impiam doctrinam Helvidii, credendique Jacobum ex eodem quo Christus utero progenitum fuisse. Deinde imperitissime hoc loco Jacobus, qui frater Christi appellatus fuit, cum Jacobo Zebedæi filio confunditur. Profecto non fratrem illum Domini, sed alterum istum Jacobum cum fratre suo Joanne apud Christum agonizantem fuisse, sacra historia commemorat.

Alteram cautelam dicebam esse, ne quid vanum, irreligiosum, & ridiculum admisceatur. Contra hanc peccant imagines, in quibus exprimitur Dominus apud Martham & Mariam exceptus hospitio. Suffecerat sane has tres Personas pingere, Mariam loquentem cum Domino & ad pedes ipsius sedentem, & Martham in re culinaria occupatam; poterat etiam pictor pro parergis canem & cattum apponere. Sed nequiter ille alias ineptias pro suo genio invenit. Dum enim Christus in medio cum Maria loquitur, post parietem ex una parte stat Joannes adolescens & clam in angulo fabulatur cum Martha, ex altera parte Petrus in abscondito plenis buccis ebibit cantharum vini. — Idem congressus etiam paulo alio modo adumbratus invenitur. Martha a tergo assistit Joanni, altera manu in ipsius humeros familiariter injecta, altera velut incidente Christum, qui nihil horum percipiat, Petro interea scyphis exhauriendis occupato. — Hæ certe cum irreligiosæ & impie ineptiæ sint, nihilominus ab aliquibus pro facietis habentur. — De rebus sacris qualis debet esse sermo, talem decet esse picturam. Et quemadmodum ex Trid. sess. 4. blasphemix genus est, sacras litteras ad ineptos & profanos jocos detorquere; ita omnino sacri fulminis damnati sunt.

illi, qui, cum pingunt aut pingi curant canonicarum scripturarum argumenta, de suo capite admiscunt ridicula, absurda, & Sanctis indigna.

Illud vero absurdissimum inventum pictorum est, quod non tantum in hospitio apud Martham, sed & in convivio Eucharistico Petrum, illum Apostolorum principem, fere semper malint tanquam potatorem exprimere, quam devotum & religiosum Cœnæ Dominicæ convivam. Quæ quidem absurditas adeo placuit, ut sive in Breviariis sive in Missalibus sive in tabulis publice appensis, historiam ultimæ cœnæ vix hodie depictam videamus, qua non Petrus exhibeatur, quasi cum caractere suo, nempe inclinatus cantharos circumspiciens, interim parum sollicitus quid agatur, dum reliqui decem viri devote & religiose discumbentes ad verba Magistri oculos & aures referunt. Immo ut plus dicam, quod certa scientia teneo; hæc absurditas adeo placuit, ut hocce tempore, si quando de novo ejusmodi imagines pinguntur, qui sunt insigniores potatores, propriam suam effigiem in locum Petri vel ipsi substitui curant, vel ab aliis substitui non impatienter ferunt. — Itane autem res serias & sacratissimas risui & ludibrio habere, summa imis, Divina profanis miscere?

Circa imaginem ultimæ cœnæ illud hic prætereundum non est, quod narrat Joannes Hübner in suo reali, quod vocat, rerum verborumque quotidie occurrentium lexico ad vocem **Cartheuser**. Ibi descriptis institutionibus & moribus celeberrimi Ordinis Carthusianorum, subjungit, hos viros adeo abhorrere ab usu carniū, ut in magna Carthusia, ubi depicta in cœnaculo proponitur cœna novissima Christi, loco Agni paschalis ingens piscis sit in paropside depictus. — Hoc quidem si ita sit, ridiculum certe foret & apprime ineptum. Adduci non potui ut crederem, adeoque hanc fabellam inter cariosas merces recensui, quas plurimas obtrudit in isto suo vocabulario. Scripsit equidem ad me religiosissimus & venerabilis quidam vir ex eodem Ordine, quem hac super re conveneram, se ab testibus oculatis accepisse, similem imaginem, non quidem in majori Carthusia, sed in alia quapiam ejusdem Ordinis domo aliquando depictam fuisse; at vero tanquam minus convenientem & ineptam continuo a superioribus in audacem pictorem iratis fuisse suppressam & expunctam. Fallitur ergo vehementer Hübnerus, ne dicam, intemperanter agit ( sicuti & omnes illi trossali, quos in quotidianis congressibus hoc idem centies ad irisionem repeterè audimus ) dum narrationem illam suam inclytæ & sacerrimæ illius Religionis Patrum abstinentiam tanquam ridiculam traducit; quemadmodum & in eodem lexico ad multa alia sacra Catholicorum explodenda, arrepta occasione, extra oleas abit.

Cum in hac materia de erroneis Christi Domini imaginibus frivolisque & ineptis pictorum additamentis & expressionibus versor; vexatissima se quaestio movet, an etiam imago cordis Jesu in eundem hunc censum veniat. Certe his nostris diebus variarum classium homines communi studio & tanquam ex pacto huic picturae bellum indicunt, seu potius sub initium hujus saeculi motum & repressum redintegrant, variisque cum libellis, schediafmatibus, recensionibus, quasi totidem arietibus ingruunt, ad illam e sacrarum imaginum numero, simulque devotionem, quae dicitur Cordis Jesu, a Religione christiana eliminandam. — Sed videant, quicumque aliquid vident, quid hac in re tantopere appareat frivolum, ineptum, irreligiosum, ut tanto strepitu opus sit.

Volvuntur jam complures anni, quousque hominum memoria porrigitur, quod devotio erga sacrum Cor Salvatoris in variis per diversa Europae regna provinciis constituta sit, ipsaque hujus Cordis imago publicis in ecclesiis inter ceteras sacras imagines Fidelium cultui exposita. Visuntur facella & templa in memoriam Divini erga nos amoris sub titulo hujus Cordis aedificata, dotata, & dedicata. In Romano archivo, quod ex facto desuper satis authentico catalogo apud Josephum de Galifet Gallum in Urbe scriptorem constat, numerantur ultra trecentas Confraternitates sub nomine Cordis Jesu ab ipsis Episcopis in suis dioecesibus erectae, atque a summis Pontificibus Innocentio XII. Clemente XI. Innocentio XIII. Benedicto XIII., non tantum approbatae, sed & indulgentiarum litteris decoratae (\*) Clemente XIII. tandem post diligentem iterum disquisitionem concedente omnibus petentibus Missam & Officium proprium de Corde Jesu, cum plenariis etiam indulgentiis in variis ecclesiis. — Quid ad hoc critici nostri, saltem ii qui Episcoporum in Sacris judicio reverentiam habent, saltem ii qui non omnia explodunt, quae Romana autoritate & Apostolica sanctione fiunt?

Ut ut novitium sit inventum, rite tamen & legitima facultate in usum abiit; neque certe ulla hodieque exstat imago sacra aut devotionis publica professio, quae aliquando nova non fuerit, adeoque nec praecise propter novitatem repudianda, posteaquam irrefragabilis approbatio accesserit.

(a) Celebritas & Confraternitas sub titulo Cordis Jesu, quae habetur hic Treviris in abbatiâ ecclesia Sanctimonialium Ord. Cisterc. ad S. Annam, una cum indulgentiis plenariis in diem post octavam Corporis Christi, expedita Romae fuit ab Innocentio XIII. 3<sup>ta</sup> Februarii 1724, pluries deinde confirmata, atque a Reverendissimo G. mem. Francisco Georgio quibusdam etiam minoribus indulgentiis pro fodalibus insignita; quae usque hodie mira populi concurrentis frequentia & devotione floret.

accesserit. — Ab antiquiore utique ævo monumentum hujus rei nullam afferri potest; jam nunc tamen est nova quædam forma exhortationis, qua Fideles excitantur ad considerandum illum amoris excessum Salvatoris nostri, qui se tanta vi cordis pro nobis impendit, ad eumque ex intimo corde redamandum. In hunc autem maxime usum inservit hoc tempore, quo multum caritas refrigescit, quo modo Ecclesia orat in festo S. Francisci: Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo ad inflammandum corda nostra tui amoris igne &c.

Patet itaque Cordis Christi non nisi symbolicam & imaginem & devotionem esse, festumque ad hanc devotionem fovendam omnino mysticum. Quodsi vero nemo hætenus arguit festum Dolorum & quinque Vulnerum, quo seorsim a Corpore Christi manus pedesque & cor transfixum publica tabella exhibentur; ecquid arguendum circa festum Amoris, pro cujus simbolo jam ab antiquissimis seculis apud omnes nationes Cor assumptum fuit? Cur illud fidelium oculis non exhibeatur pictum, ut inde ad reddendum cor, hoc est, ad redamandum alluciantur?

Inde autem profecto consequens non est, quod circa omnia membra Christi & singulas partes, ejusmodi celebritatem institui & pietatem christianam versari conveniens sit. Quod quidem aliquis haud ita pridem impudenter effutire coram quibusdam non erubuit, addendo quæ loqui non licet. — Inprimis enim, ut huic paucis & modeste respondeam; Ecclesia semper abstinuit ab omni eo, quod Fidelium oculis & animis offendiculo esse possit. — Tum vero in ceteris Christi membris mysticam significationem ponendi, nulla ratio habetur; aut si qua ratio, illa tota in duabus celebritatibus Dolorum & Amoris exhauritur. Et sicuti celebritas Dolorum & contemplatio imaginis vulneratarum Manuum & Pedum in se plus luctus continet, quod Christus talia ac tanta immerito ab hominibus passus sit; ita celebritas Amoris & contemplatio imaginis Cordis plus gaudii habet, quod talia ac tanta fuerit passus propter nos homines & propter nostram salutem.

Sunt qui cordatiores sibi masculi videantur, dicantque, & sæpius percussi nihilominus pergant dicere, imaginem hanc adnexamque devotionem nimium teneram & sensualem esse. — Mirum est, hoc ab illis objici, quos ex quotidiano commercio penitus nosse licet, qui toti sensualitatibus absorpti, ne quidem rite, si quando orare necessum est, animum suum ad Deum elevare sciunt; in quos vere cadat illud: animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus. — Nonnulli eorum, qui hoc punctum tangunt, sunt ex illis, qui, ubi res est de uxoribus suis, & de puellis quas ambiunt, totos suos amores sub schemate

cordis exprimunt, atque inter donaria, quæ missitant, præcipuum locum dant depictis cordibus, immo se se invicem ex amore vocitare corculum suum consueverunt. Annon isti ipsi fateri debent, nisi vagi & subsultorii amatores sunt, se non tantum tenerè sed etiam solide amare quos amant & ita se amare significant?

Tenera est imago & devotio Cordis Jesu. Quid ita? Multi homines ad firmam solidamque devotionem non perveniunt; nisi per sensus & sensualem quasi, attamen innoxiam, delectationem pelliciantur; qui tamen eam ultra omnem sensum porro transferre sciunt, & in spiritualem denique voluptatem transmutare. — Sic sunt homines; alius alio pietatis genere in virtutis & justitiæ christianæ studio perdurat, proficit, & consolidatur. Sunt qui vehementius moveantur & quasi rapiantur ad Cœlestia, si contemplantur puerulum Jesum in præsepio aut inter brachia Matris: aliorum devotio friget in hac contemplatione, & magis exardescit, si aspiciant Christum jam grandem & in cruce suffixum. — Cui Cor non sapit, non cogitur; saltem a cavillationibus abstineto, neve aliorum pietatem interturbato.

Illud tantummodo pro coronide quærere hic mihi liceat: Cujus est, imagines, cultumque & devotionem cum iis connexam, approbare, reprobare? Quis maleferiatis illis hodiernorum schediasmatum editoribus illum in Sancta Sanctorum introitum, illam in rebus sacris dijudicandis auctoritatem indulsit? — Abusus tollere, puram reddere Religionem, mores restaurare se dicunt. — Ergo tam misera hodie vivimus tempora, ut restauratio Religionis & morum acceptanda scilicet sit ab iis, quos Religionem deposuisse & corruptissimo esse spiritu, ex ipso scriptio- nis nexu & systemate haud obscure deprehenditur. Quin adeo nonnulli (sive evanescentes in cogitationibus suis, sive altiori vi in reprobum sensum traditi) nequitiam suam vel in ipsa prima pagina luculente produnt. Vidimus recentissime duos ejusmodi libellos, in quorum pagina titulari positum est symbolum, quod italica voce motto vocant, alterum ex infami Voltarii philosophia, alterum ex damnatissima fabula puellæ Aurelianensis desumptum; ut nempe in ipso frontispicio & operis damnationem cognoscas & characterem auctoris. — Egregii sane restauratores! — (\*)

(\*) Ceteras emblematicas imagines Dei Patris & Christi &c. sub typo mandæ e nubibus protensæ, Pastoris, Agni, Pelicani, atque etiam diversos modos tum pingendæ Crucis, tum ad benedicendum in aëre formandæ, opportunius alio loco in contemplationem adducam. — Hic tantum. —

Permittimus imprimi. Treviris 8<sup>a</sup> Augusti 1787.  
C. BEISSEL VON GIMNICH, Vicarius Generalis.

# T H E S E S

## DE DEO UNO ET TRINO.

### I. *Primus Fidei Christianæ articulus est: Credo in Deum.*

**F**IDES Christiana, qua *Christiana*, utique & ex motivo sit supernaturalis, & motivum istud Auctoritati infallibili ipsius Dei loquentis innitatur, necessè est. Si ergo Christianus dicat: Credo in Deum; rationem hujus fidei debet dare hanc: Quia Deus revelavit, se esse Deum. Hic autem aperte est petitio principii; neque enim prius possum scire, Deum revelasse, nisi jam aliunde demonstratum fuerit, Deum existere. Necessario igitur, antequam revelatio locum habeat, antequam fidem supernaturalem elicere queam, habere me oportet fidem naturalem de Deo, h. e. de Deo non ex motivo supernaturali, in *revelatione* fundato, sed ex alio undecumque petito credere, esse Deum.

At vero ad cathedram Theologiæ supernaturalis Dogmaticæ, quæ non nisi circa revelationes versatur, demonstrationes aliunde desumptæ non pertinent. Supponit itaque naturalem aliquam Theologiam præcessisse, in qua isthæc primi & summi momenti veritas ad evidentiam excussa fuerit. — Evidentissimis id quidem & invictis argumentis Philosophi præstant, quod præter hunc mundum & nos ipsos Ens revera aliud detur, quod sit illius & nostri auctor sive ratio ultima sufficientissima & proinde etiam sui ipsius, h. e. *Ens in se & a nullo alio*; certe enim numerus & progressus causarum efficientium infinitus possibilis non est, nihilque potest esse sine ratione ultima sufficientissima.

Hic jam ubi Philosophus cessat, progredi Christianus incipit. Dicit Philosophus: Credo esse Ens aliquod absolute necessarium, quod ipsum quidem a nullo alio, ab ipso cetera omnia dependeant. Motivum hoc credendi est conspectus totius hujus Universi, ejusque in unam & ultimam denique causam devolutio. Naturalis tantummodo hæc ratio cognoscendi est. — Ulterius jam gressum Christianus movet, & instructus de revelationibus divinis, supernaturali se motivo concitat, dicens: Credo in Deum, quoniam Deus in cognoscendo & dicendo summe sapiens & verus (& hoc prius in philosophica idea Dei inclusum erat) revelavit. — Sic autem non amplius horsum vorsum abitur, aut, in circulo. Christianæ Fidei ambulario est.

Quod vero consideratio illa philosophica rerum omnium aspectabilium planissima & regia sit via perveniendi in notitiam existentiae Dei & magnificas de Deo notiones consequendi; ipsa deinde revelatio in Sacra Scriptura pluribus locis ostendit. Jobi 12. 7. *Interroga jumenta & docebunt te; & volatilia cæli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi; & narrabunt pisces maris; quis ignorat, quod omnia hæc manus Domini fecerit?* — Ps. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, &c.* — Sap. 13. 5. *A magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* — Rom. 1. 20. *Invisibilia ipsius,*

a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas; ita ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.

Atque is ipse Deus, qui tam manifesto se per creaturas prodit, & dicit, se esse Dominum & Creatorem rerum omnium; ille ipse verissimis signis etiam per sese locutus est hominibus, & dixit: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Exod. 20. 1. — *Ego Deus omnipotens.* Gen. 17. 1. — *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.* Deut. 32. 39. — Paulo deductius hoc totum hic ponere lubuit, propter quosdam Theologos, qui nimis trices rem implicant, non attendentes ad id quod vere res est, sibi que & aliis circa fidem supernaturalem de Deo eliciendam laqueos injiciunt.

## II Nomen Dei: *Ego sum, qui sum.* Exod 3. 14.

**III** Hoc Nomen suum suomet ipse Deus oraculo edixit; eoque necessitas existentiae Dei, orta ex essentiae infinitudine, nimis quam luculenter exprimitur. Solus nempe ille de se dicere potest: *Ego sum, qui sum*, per meipsum & necessario; & ideo semper *Ero* immutabilis, necessario, & per meipsum. — Cetera omnia, quæcunque sunt & erunt, etiam quæ immortalia erunt, non per se & necessario sunt & erunt, sed per ipsum; cumque careant infinita perfectione, multo verius non esse, quam esse dicuntur. — Pulchre hoc ipsum enarrat S. Hieronymus in commentationibus suis ad ep. Ephes. “Loquitur in Exodo Dominus, *Ego sum qui sum*: Et, hæc dices filiis Israël, qui est, misit me ad vos. Nunquid solus Deus erat, & cetera non erant? Utique Angeli, cælum, terra, vel maria, & ipse Moses, cui Dominus loquebatur, & Israël & Ægyptii, ad quos & contra quos princeps & adversarius mittebatur, erant. Et quomodo nomen commune substantiæ sibi proprium vindicat Deus? Illa, ut diximus, causa, quia cetera, ut sint, Dei sumptere beneficio: Deus vero, qui semper est, nec habet aliunde principium, & ipse sui origo est suæque causa substantiæ, non potest intelligi aliunde habere quod subsistit „ — Idem S. Joan. Damascenus loquitur de fide orthodoxa lib. 4. c. 12. “Videri (ait) omnium, quæ de Deo dicuntur, nominum maxime proprium Eos; quemadmodum Mosi respondens in monte dixit: Dic filiis Israël, qui est misit me. Totum enim in se ipso comprehendens habet esse, velut quoddam essentiae pelagus infinitum & interminatum. „

III. *Spiritus est Deus, summe simplex, expers omnis distinctionis partium.*

IV. *Non conficit spatium ob præsentiae infinitudinem: Non habet tempus ob infinitudinem existentiae.*

V. *Est rerum omnium mutationisque rerum auctor & causa effectrix, quin ipse mutationi ulli sit obnoxius.*

VI. *Est scientiarum Dominus, cujus intelligentiæ nuda & aperta sunt omnia, qui scrutatur corda & renes, intelligitque cogitationes de longe, & omnes vias hominum prævidet.*

COMPLECTITUR hæc amplitudo Scientiæ Divinæ certissime etiam ea, quæ sub quavis conditione etiam libere futura essent, etiamsi qualiscunque illa conditio nullo tempore implenda sit, ac proin quæ hypothetice futura essent, nunquam sint absolute futura. Manifestum hoc dogma est, de actibus quidem liberis *naturalibus*, ex I. Reg. 23. 10. Et de liberis *supernaturalibus*, ex Matth. 11. 21. — Atqui hæc scientia, quæ *conditionalium* dicitur, evidenter diversa est a scientia *pure possibilium*, itidemque evidenter diversa a scientia *absolute futurorum*. Nisi ergo velimus per logomachiam fucum facere; fatendum est, in Deo tres scientias inesse, sive potius, dari tria genera objectorum diversissima, quæ Deus omniscientia sua comprehendit; quæque invicem a nonnullis perperam commiscentur.

VII. *Solus summum verum Bonum est.*

VIII. *Unus unicus est Deus.*

IX. *Attamen non Deus solitarius est, sed Tres sunt Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.*

X. *Verbum, quod caro factum est, Christus Jesus, qui per omne Evangelium dicitur Filius Dei, Deus est, Deo Patri Consubstantialis.*

XI. *Estque Persona ita subsistens, sive tale Principium intellectuale efficiens, ut ab illa Persona, quæ Pater est, sit vere diversa.*

XII. *Spiritus Sanctus, qui a Patre & Filio missus dicitur, itidem cum Patre & Filio Deus est.*

XIII. *Itidemque Persona a Patre & Filio distincta.*

XIV. *Neque debet aut potest dici vel Filius Patris, vel Filius Filii.*

XV. *Sed idiomate ecclesiastico, proprio suo vocabulo, Spiritus est.*

XVI. *Eodemque prorsus modo Spiritus Filii est, sicuti est Spiritus Patris, utpote qui ex Patre Filioque procedit.*

**S**UPER hoc dogmate vetus est Græcorum cum Latinis contentio, negantibus Græcis simul a Filio Spiritum S. procedere, immo & Latinos defectio- nis a fide accusantibus, quod interferebat Symbolo particulam *Filioque* præsum- ferint. Concordia sæpe tentata, atque etiam in Lateranensi IV., iterumque in Lugdunensi perfecta, sed identidem dirupta fuit. — Donec tandem in Con- cilio Florentino, orthodoxo Latinorum dogmati assenserunt omnes Græci Episcopi magno numero præsentés, communicque Fidei symbolo una cum Constantinopolitano Patriarcha atque ipso Imperatore Joanne Palæologo. Solus Episcopus Ephesinus, nomine Marcus, manum apponere recusavit, rediensque ad suos, multos in errorem retraxit; atque ita pulcherrimam rem, tot votis exoptatam, tanto labore peractam, unius viri pertinacia pessum dedit, ruina usque hodie perdurante. — Hoc tamen etiam nunc solatio nobis esse potest, & expediendæ facilius reunionis saltem Dogmaticæ spem ingerere, quod ab eo tempore nulla *publica fidei confessione* a Græcis impugnata fuerint Florentini decreta; adeoque error revera non sit nisi *personalis*, multorum quidem Græcorum, sed non publicus totius Ecclesiæ Græcæ; sive, ad dogmata publica Græco- rum hoc hodie non pertinet, quod Spiritus S. a solo Patre & non simul a Filio procedat. Atque hoc inde etiam patet, quod duobus ab hinc annis in Academia Russica, quæ est in Kiow, hæc thesis publice posita & defensa fuerit: *“VEROSIMILE EST, QUOD SPIRITUS SANCTUS ETIAM A FILIO PROCEDAT.”*

Dicebamus: *Reunionis saltem dogmaticæ* faciliorem expeditionem sperare licet. Benim quæ ad disciplinares fortasse quosdam ritus sive retinendos sive immutan- dos spectant; vel ut retineantur, non magnopere oblectabuntur Latini: vel ut immutentur ob maximum universalis Ecclesiæ bonum, non per hos dies usque adeo moleste ferent Græci. — Ceterum si qua alicunde momenta diffi- cilia & ardua se moveant circa aliqua cum reunionem connexa qualiacunque consecraria; Potentissimam illam Russorum Imperatricem CATHARINAM II. sua facile virtute dissecuram confidimus; quam ceteroquin invicta perrumpentem obstacula, sicuti in rebus omnibus politicis adornandis, bello paceque vere Magnam hæctenus extitisse miramur, sic & in maximo hoc Religionis negotio non minorem se se Heroïnâ præstaturam, non ex vano præsentificimus. — Faxit Deus, ut in Ecclesia universali iterum at veriore eventu resonent illæ voces, quæ in Decreto Unionis Concilii Flor. frustra in ærem personuerunt: *Latentur cæli & exultet terra; sublatus est enim de medio paries, qui Occi- dentalem Orientalemque dividebat Ecclesiam; & pax atque concordia rediit, illo angulari lapide Christo, qui fecit utraque unum, vinculo fortissimo carita- tis & pacis utrumque jungente parietem, & perpetua unitatis federe copulante ac continente. &c.*

XVII. *Pater & Filius non nisi simul unum completum Prin- cipium Spiritus S. constituunt,*

XVIII. *Nec tamen a Fide deviat, si quis diversitatem aliquam, quoad rationem principii, relate ad Spiritum S., inter Patrem & Filium adstruat.*

**N**IMIRUM Pater Divinus, carens alio omni sui ipsius principio, tale utique principium est, quale non est Filius; qui, quantumvis Spiritus Sancti principium sit, attamen & ipse principium sui Patrem habet. Sic certe nonnulli ex antiquis P. P., ad distinguendam *primi* principii rationem soli Patri propriam, dicebant, S. Spiritum ex Patre *per Filium* procedere. Sic eodem sensu quidam soli Patri rationem principii respectu Spiritus S. æque ac Filii attribuebant. Falsus hoc est ipse Beffarion Nicænus Archiep. Græcorum Præsulum, qui Florentino interfuere, facile doctissimus, in orat. pro Unionē. — Mirum; quantum inde & firmatum fuerit dogma de processione Spiritus S. ex Filio, & argumentum dissolutum, quo potissimum Græci ex dictis nonnullorum P. P. adversus Latinos triumphare scilicet videbantur.

XIX. *Sunt ergo Tres Personæ Deus, idque citra repugnantiam & imperfectionem.*

XX. *Quarum una est Divinitas, æqualis Gloria, coæterna Majestas.*

XX. *Neque propterea, quod singulis Personis singula diversaque opera attribuantur, eas aut diversitas officiorum aut discrimen prærogativæ dispescit.*

Permittimus imprimi. Treviris 8<sup>a</sup> Augusti 1787.

C. BEISSEL VON GIMNICH, Vicarius Generalis.

XXVII. De ...  
...


...

XXVIII. De ...  
...

XXIX. De ...  
...

XXX. De ...  
...

Printed in London, Printed by T. Baskett, in the Strand, 1787.  
C. H. ...






Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

# TIFFEN Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



493/32 -50

